



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales

Qvibus Totvm Hominis Christiani Officivm Explicatvr; Quídque is fugere,
quid agere debeat, quàm exactiſimè traditur

Segneri, Paolo

Augustæ Vindellicorum ; Dilingæ, 1695

Discvrsvs XXV. De Pretio Virginitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45964](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45964)

credite, quod non cognoscant, non plangant, non emendent hanc suam proterviam, non aliundè provenire, quam quod aut Deo constanti devotione supplices non fiant, aut occasiones non declinent. Vos verò, Auditores humanissimi, geminum hoc

pharmacum usurpare, ut à luxu, qui mundus universus inficitur, immunitis; *Mundus totus positus est in malo*: Et cum vivere extra Mundum non possitis, scitote rationem, qua in eo vivere valeatis, quin sociibus inquinemini.

DISCURSUS XXV.

De Pretio Virginitatis.

I. **N**on credo modum esse magis efficacem, quo prodigus suam prodigalitatem dedoceatur, quam si illæ opes & divitiæ ante oculos statuatur, quas profundit. Hac animadversione emendare Neronem filium suum voluit Agrippina, Filium revera Prodigum, qui uno die sine ulla causa & meritorum intuitu, octingenta scutorum millia cuidam dono dedit. Fecit illa in unum cumulum redigi omnem illam pecuniam & auri vim: & hoc, inquit, modicum illud est, quod uni cuiquam heri dono tradidisti. Volo hodie & ego hac uti regulâ, & dum expendo, quot sint Animæ, quæ magnum illum Virginitatis suæ thesaurum pro nihilo abijciunt, primò ante oculos ponam immensas illas divitias earum, quæ thesaurum hunc possident; deinde inferam in altera Discursus mei parte immanem earundem prodigalitatem,

quæ thesaurum hunc incautè pretio profundunt.

I.

II. Et ut quàm paucissimis verbis ritatè hanc omnibus persuadeam, considerare solummodò juvabit, magnum hunc Virginitatis thesaurum summo semper in pretio tam apud Terrigenas quam apud Cœlites & Inferos fuisse.

III. Et primùm quidem pecuniam profusè Virginitatis æstimatione tantum homines viguit, apud quos si ipsa etiam Echnicos in sui admirationem rapuit, dicendum sanè est, eam fuisse profusè maxmam, qualis illa lux cœlet, quæ etiam modo quodam ad reparum oculos & pupillas pertingeret. Veteres Romanos, qui se justos rerum omnium arbitros jactabant, quod Virginitati pretium posuissent, bitramini? tantum ceræ, ut rectè Hieronymò, non Viri Consulares tantùm, non tantùm Consules, sed ipsi etiam Imperatores, si quando in publicis compitis Virginem Vestalium obviam haberent, dignius place-

tas illi cederent : neque hoc tunc tantum, cum aut incogniti, aut modico cum comitatu procedebant, sed ipsis solennis triumphis diebus, quibus ad Capitolium curru triumphali inter omnium Victori applaudentium festivos clamores deducebantur. Nec ista honoris demonstratio sterilis quædam cæremonia solum fuit. Iisdem Virginitibus tantam tribuebant potestatem, ut si qua Reo ad furcam educendo obviam veniret, illicitum potius crederetur (adeo earum occultus propitiis esse censebatur) eundem decreto supplicio tollere. Et sic absque mora libertati restituebatur, quasi sola Virginitatis presentia ad quoslibet Reos ab omni noxa purgandos sufficeret, quemadmodum nonnunquam ignis Cælo delapsus omne à lentifero serpente venenum abstergit.

IV. Quod si tantum gemmæ huius pretium fuit, antè, quàm Christus Trapezita peritissimus illud Munda patefaceret, facili conjecturâ assequemini, quantum valoris ei accreverit, postquam Christus illud detexit, aut, ut loquamur melius, suis laudibus plurimum auxit. Unum illud sufficeret, quòd sanctus Martyr Ignatius, qui proximus Apostolorum temporibus sacram ab ipsis doctrinam ceu hæc suxit, scriptum reliquit. In litteris igitur, quas ad Heronem exaravit, eum adhortatur, ut Virgines ceu monilia Spouli cælestis custodiat : *Epist. 4. Virgines serva, ut pretiosa Christi monilia.* Et in litteris ad Christianos Tartaroscas scriptis præcipit, ut Virgines

paricum Sacerdotibus pretio habeantur : *Eas, quæ in Virginitate degunt, in pretio habere velut Christi Sacerdotes.* Simillima profus aliorum quoque Doctorum consequentium menserat; ex quibus, qui Virgines selectissimum Christi gregem appellaret, fuit S. Cyprianus; quòd bonum Divinæ naturæ proprium possiderent, asserit S. Gregorius Nyssenus; qui Angelorum terrestrium nomine compellaret, fuit S. Joannes Chrysostomus, qui Angelis cælestibus conferret, S. Augustinus & S. Hieronymus, qui ipsis etiam Angelis anteferet, S. Bernardus, cujus libera assertio est, Angelos quidem esse conditione feliciores; Virgines autem magis admirabiles; illa ratione, ut puto, quàm mirabilior est nix, quæ inter terrenas fæces ac lutum candoris sui est tenax, illa aliâ, quæ nubium adhuc sinu clausa procul cæno est, quo inquinetur.

V. Mirum proinde non est, si Christiani his Magistris usi tanto Virgines in honore habuerunt; id quod non de infimis tantum ac plebeis dixerim, sed ijs etiam, qui portant Orbem. De Constantino M. refert Eusebius, quòd tantam de Virginitibus Deo Sacris opinionem habuerit, ut non venerari tantum, sed & adorare eas videretur. Alierebat enim, in earum mentibus, velut in throno Majestatis DEUM habitare. Eiusdem Imperatoris magna mater Sancta Helena eò progressa est reverentiæ, ut sacra Jerosolymæ loca visitatura non solum consecratis Deo Virgines men-

EGNERI
OCTISIANNUS

ſæ ſuæ adhibere voluerit, ſed omnibus, quas ibi inuenerat, ſerviret accumbentibus, aquam manibus affunderet, cibos inferret, idque non unâ, ſed repetitis etiam vicibus faceret.

VI. Nec minorem illius rationem habebant illi ipſi, qui theſaurum hunc poſſidebant. Juvenis quidam, ſeſte S. Hieronymo, molli lectulo alligatus linguam ſibi præſcidit, quam ſolam liberam vinculo habebat, & impuræ ſollicitatitici in faciem expuit. Puella oculos ſibi eruit, & inſidiatori cuidam ſuo miſit, uti reſert Cardinalis de Vitriaco. Alia ſibi labra reſecuit ac nares, quas tamen à Matre Virgine, Virginiæ omnium Proteſtrice, miraculo recepit. Et hoc parum eſt. Fuit, qui ſervandæ hujus Margaritæ gratiâ corpus ſuum non tantùm iſtibus expoſuerit ac vulneribus, ſed ipſi etiam morti. Elephas vitam ſuam ab inſidijs Venatorum ſervaturus, candidiſſimum ebur ſuum ante oculos eorum projecit. Virgines alia fecerunt omnia: ut enim ebur candidiſſimæ ſuæ puritatis vindicarent, vitam ipſam ſtygijs venatoribus objecerunt. Ex multis factū Divæ Euphræiæ Virginis Nicomedeniſis proſus ſingulare audite, quod omnem planè attentionem meretur.

VII. Fuit Virgo hæc Sanctiſſima odio Chriſtiænæ Religionis impudenti cuidam militi tradita, velut innocens columba Accipitris unguibus. Nec apud belluinum hunc hominem preces aut lacrymæ quidquam valebant, multò minùs minæ, ut

prædam ex manibus dimitteret. Neceſſe igitur Euphræiæ fuit, ut ingenium acueret contra robur, inveniret quoddam non minùs generoſum, quàm ingenioſum, quo (à Divino utique Spiritu ſpeciali inſtinctu edocta) evaderet. Militis itaque pedibus ſoppita incidit, pollicita, ſi intacta ab ipſo relicta quaeretur, tale ei arcanum revelaturum, cujus ne dimidium quidem pretium eſſet, ſi quidquid hoc ille in Mundo poſſideret, totum pro ejus ſcientiâ numeraret. Ex multarum inquit, herbarum alijs incognitarum permixtione talem ego ſuccum eliciam, qui quocunque corporis parte illitus fuerit, ſed lud inſtat chalybis reddat impenetrabile. Et ne fraudem verbis meis ſibi ſe credas, experimentum in me ipſa cupias licet, ut aded ſi arcani mei virtutem proprijs oculis exploraveris, tam poſſis animo contra hoſtes ire, & ſolubet, in prima fronte exercitijs poſgnare, omnibusque telis ac enſibus ſecurum te ac tutum exponere. Plocuit militi conditio, ac ſe id facturum recepit, ſi promiſſioni fides reſponderet, fore ſe tutorem Virginis, qui reſptor eſſe volebat. Retraxit ſcilicet cupiditatis ſuæ habenas miles peſtiferus, ſpe arcani pellectus, quas prius liberrimas ſuæ paſſioni dimiſerat. Interim Euphræia de pacto inito valde ſibi gratulabatur, magnæque ſudio omnis generis herbas colligebat, his duo inter ſaxa contritis ſuccum telâ lineâ, quâ caput velaverat, percolabat, omnemque in vaſculo quodam aſſervavit. Mox collum ſollicitè unxit, ac in genua provoluta

Nicoph.
l. 7. hiſt.
Eccle. c. 1.
Baron.
A. 309.

hilariter sic militem affata est: vagina enim libera, & quanto brachiorum nisu potes, intrepidus collum meum feri, certus sis, quod altius brachium extuleris & ictum vibraveris fortiore, eò impetu etiam maiore feram refultaturum, haud aliter ac si incudem ferisses. Tunc miles, qui ne per umbram quidem Innocentissimæ Virginis piam fraudem suspicabatur, manum ad capulum misit, rarisque rem proflus insolitam visurum, tali nisu in colum Virginis gladium libravit, ut uno ictu caput recideret, & grandi illi Animæ viam ad cælum recuderet, duplici laurea, & Virginis & Martyris, coronandæ. Quid ad hæc? An argumento opus est fortiore, quo demonstré, quanto in pretio Virginitatis Margarita apud Sanctos sit? quam tamen Libidinosi pro delectatione tam villi brutorum instar animalium pedibus caleant, quin unquam eâ calcandâ possint exsaturari.

VIII. Verùm hæc divitiæ nunc satis non cognoscuntur. Dum conchyle clausum est, nemo novit, quanti pretii Margaritam condant. Sic in presentiarum, quid sit Virginitas, non scitur; cum Cælo recipiemur, tunc suo pretio æstimabimus. Ibi ceu propelo in lumine ita resplendebit, ut omnes simul Cæli Incolas in sui tractata sit admirationem. Dicere sufficiat, quod Virgines Deo dicantur vicinissimæ: illæ sunt, quæ Deum sequuntur, quæ ipsi famulantur, ubique illi se comites jungunt, tanquam Aula ejus propria: *Sequuntur*

Agnum quocunquejerit. Illæ Dei nomen in frontibus scriptum gestant; illæ laudem tam admirabilem Deo decantant, ut teste S. Augustino, alij Sanctorum Chori audire quidem eam possint, imitari non possint. Illæ Primitiæ Dei & Agni vocari merentur: *Primitia Deo & Agno*: quia quemadmodum fructus primuli majori in pretio habentur, quàm serotini, ita cum proportione Virgines in cælo magis æstimantur, quàm alij Sancti, qui eadem aureolâ non sunt donati. Præcepit olim Deus in Exodo Cap. 25, ut pretiosa quædam mensa pararetur, super mensa autem Corona statueretur, & huic altera similis, minor tamen inponeretur; volens significare, se in Cælo insignes quasdam virtutes non solum illâ gloriâ remuneraturum, quàm omnibus alijs Beatis esset concessurus, sed coronam insuper peculiarem, quæ ipsius Coronæ Corona foret. Harum una virtutum Virginitas est; ut adeò Virgines ultra illud præmium, quo omnes Sancti potentur, alio sibi proprio sint fruituræ, quo ab alijs omnibus distinguantur, quod Sanctis Aureola nominatur, quemadmodum illa corona Aureolæ nomine afficiebatur, quæ alteri coronæ superposita eminebat: *Et super illam alteram coronam Aureolam.*

IX. Nequaquã igitur illo pretio satis æstimabilis hic thesaurus est: *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ*: Verba ipsius Dei sunt. Vera Virgo non habet quidquam sibi simile. Si ex una parte poneretis omnes totius

EGNERI
OCTISSIMIS

Vide
Corn. 2
Eap. in
Exod.
25.

Ecl. 16.
20.

totius mundi Sponsas, seu Principes, seu Reginae, seu Imperatrices illae sint, ex altera parte pauperulam Virginem collocaretis, quae corpore & animo Virgo sit, sive, quae neque membra corporis sui, nec cor suum foeditate quapiam commacularet, ditior haec est, plurisque aestimatur, quam omnes desponsatae cum omni suo auro, quo vestiuntur, cum pretiosis cycladibus, cum omnibus suis ornamentis & Regnis. *Omnis ponderatio non est digna continentis anima.* Qui gemmarum notitiam habent, nihil aliud pluris faciunt, quam Margaritas, dummodo illae magnitudine, candore, levitate, pondere & figura excellent: *Principium culmenque omnium rerum pretij Margarita tenent.* Nec Gemmarum caelestes diversa & contraria in taxando pretio viae incedunt. Unde Sancti Angeli nulla ratione sustinere voluerunt, ut à S. Joanne adorarentur, eò quod Virgo esset, ut affirmat S. Petrus Damiani: *Noluit Adoratorem, quem noverat aequalem.* *Omnis ponderatio non est digna continentis anima.* O igitur divitias inestimabiles Animae Virginis! quae gradu tam sublimi tam apud homines, quam apud ipsum Deum collocatur! *O quam pulchra est casta Generatio cum claritate!* Quae autem & qualis est ista claritas juncta cum castitate? nisi Splendor iste virginis junctus Continentiae? Quae si Margarita est, tantò certè est aestimabilior, quanto candoris sui tenacior. Tunc enim verò *apud Deum nota est & apud homines;* cum splendoris immensitatem, quam intrà se

concludere non valet, etiam foras mittit.

X. Verùm mihi credite, parum, imò nihil adhuc in laudem Virginis Pudoris dixi, si quae dicta sunt, cum ijs, quae dicenda remanent, componantur. Voluit Deus, ut Sanctissima sua Mater prima Christianorum Magistra esset, quae virtutem istam humanam majorem doceret, solenneque principium actu tam heroico accipere, qui solus omnibus saeculorum temporibus hac virtute instituendus sufficeret. Nòstis, quae ratione Archangelus Gabriel è Caelo descendit ad annuncianda Virgini felicissima nova, quibus electa Dei Mater delectabatur, & consensu rogabatur: *Haud ita Virgo conturbata est.* *Turbata est in sermone ejus,* & secum reputans magna cum sollicitudine cepit, quodnam demum illud *Ave foret,* quod, si nunciantem attenderes, pacificum videbatur: *& cogitabat, qualis esset ista saluatio?* Dicite, quælo, quæ ob causam Virgo adeò conturbata esset forsan ob praesentiam Angeli? certè non, cum illi usitatae admodum essent caelestes haec visitationes. Praeterquam quod ipse Evangelista innuere, quod *turbata sit in sermone,* non ex praesentia Angeli. Forsan igitur de plenitudine Gratiae, quam in se verbis adeò inlolutis ab Angelo praedicari audiebat; *Gratia plena turbata est?* an Divinae opis singularis Sponsione turbata est, quam specialibus in se aut jam supponi, aut promitti audiebat? *Dominus tecum.* Sed neque

Plin. l. 9.
c. 35.

Serm. 1.
de S. Io.
an. Bap.

Sap. 4. 1.

propterea; cum illa nihil desideraret ardentius, quam istam ipsam Gravitatem plenitudinem & presentissimam Dei opem. Hoc est, quod eam turbavit, ait S. Bernardus, quod ultima salutis suae Orator verba adjungeret: *Benedicta tu in mulieribus.* Siquidem secundum modum loquendi Scripturae, cujus Maria erat intelligentissima, illae vocabantur mulieres, quae Virgines non erant: *Turbata est, eo quod benedictam se audisset in mulieribus, quae nimirum benedictae in Virginitate semper optant.* Si Angelus dixisset: *Salva te plena gratia, Dominus tecum, benedicta tu in Virginitate;* non ita turbata fuisset; quia hac ratione in cogitationes dubias non incidisset, an benedictio isthaec fructus non cederet in praedictum floris: quia vero Angelus dixit: *Ave gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus,* suspicata est, ne, dum Mater Dei futura esset, Virgo non remaneret, & ideo turbata est in sermone ejus. Unde imaginamini vobis, omnes Sanctos in limbo Patres, omnes sanctos in Caelo Angelos, Principatus ac Potestates omnes, ipsam quin adeo Deum avido consensum Sanctissimae Virginis expectasse, quo in effectum redigeretur omnium operum possibilium excellentissimum, Verbi scilicet Divinae Incarnatio. Videti poterat nec uno consensus iste momento disiecti debuisset, non solum propter generis humani redemptionem, sed multo magis, quod mota ista retardaretur, immo abbreviaretur vita Christo, ac beatitudo illa Sanctissimae Animae, cui

ius unicum momentum rebus alijs omnibus infinities parafrangis praestabat, Et nihilominus quantum clarè ac manifestè Dei voluntatem Virgo intelligat, ac audiat, filium suum fore Filium Dei, Mundi Redemptorem, Caeli restitratorem, Peccati destructorem, Messiam à Patriarchis desideratum, suspiratum à Prophetis, imò à semetipsa tot votis expetitur, ut Virginitatem suam in tuto poneret, consensum suum suspendit, dum penitentiorem factae propositionis notitiam sibi compararet: *Ubi in pro-* *Idem*
missione Filij manifestum Virginitati pe-
riculum videbatur, non potuit ultra dis-
simulare, quin diceret: Quomodo fiet
istud? Ecce, donec in tuto Margari-
tam istam suam collocaret, respon-
sium non dedit Oratori Caeli, aut
eum à se dimisit; ac verò ubi intellexit,
Matris dignitatem Virginitati non
obfuturam, sed eam magis illustraturam,
illum remisit; sed ita, ut conditionem
illam clarissimè verbis inculcasset, sine qua totum negotium
futurum esset irritum: Fiat mihi secundum
verbum tuum: quasi diceret: Reparetur
Mundus, Caelum impleatur, Deus homo fiat, dum ego, Matris
dignitate beata, Virgo esse non desinam: alias enim, quod Deum habitura essem Filium, mihi non sufficeret ad tollendam illam amaritudinem, quae ex jactura thesauri mei obrueret. *Si oportuerit me frangere votum, ut pariam talem filium. Et gaudet de Filio, Et doleo de proposito.* Verba sunt S. Bernardi, quem magna illa Magistra in sua schola instituit optimè

EGNERI
O CRISTIANUS

Hom. 4.
super
missus

R. P. Segneri Christi. Instr. Tom. 1.

Y y mē

mè, & sensorum suorum participem reddidit. Quomodo igitur Deus demonstrare nobis magis poterat, quæ Virginitatis sit præstantia, quam dum tantam Matri suæ ejusdem æstimationem indidit, ut totius generis humani Redemptioni, quin & ipsius Incarnati Dei vitæ, ut ita dicam, eam anteferet? Quod si ita est, ubi jam sunt fatuæ illæ ac stultæ Virgines, quæ eam videri Magnæ Matri ac Virgini Sanctissimæ devotæ velint, tamen, ut sponsum repentem, non solum Virginitatem candorem suum prostituunt, sed ipsum etiam in peccatum consentiunt? O quanto cum horrore in extremo illo iudicii die coram Virgine Matre comparebunt, & in omnium hominum conspectu ad solium Virginis sapientissimæ insaniam suam patefacient? At tempus nondum est in reprehensionem has effundendi sermonem, & ideo, quamvis illibenter, abrupto.

XI. Interim tamen veritatem vobis dicam. Erubescere plene, quod post hæc omnia eò devenire me oporteat, ut ostendam, quod Virginitas ipso etiam in Inferno summi fuerit habita: faciant tamen, ut eò magis iis ruborem in cutiam, qui inter nos vilissimo eam pretio venundant. Tantam Dæmon de Virginibus estimationem habet, ut, licet ex invidia, quæ in homines fertur, ad prodigendum hunc thesaurum eos extimulet, nullâ re magis afficiatur, quam cum ei à Virginibus inservitur. Unde observari potest, quod in In-

cantationibus magis solennibus Cæcodæmon plerumque Virginis eandem præsentiam requirit; & in istis Regionibus, in quibus Tyrannides suam magis absolutam exercet, quæles sunt Idololatrarum Provinciarum, cultum suum semper est solitus Virginitatis radijs extollere ac illustrare. Præter illam eorum, quæ de vestibus allata sunt, ex gravium Auctoritate testimonij constat, quod, antequam Sancta Fides nostra in Cæsarem penetraret, (quæ famosa India Occidentalis civitas est) in insigni quadam delubro non alterius cultus quam plurimum Virginum obsequium admisit, quæ Lege etiam stygianto rigore Virginitatem suam servat integram compellebantur, ut si quæ eam contaminasset, cum suo corpore viva concremaretur, & quod præterea est, cum tota etiam familia, in eorum excidio totius Provinciarum ac Regionum illius. Quo suo rigore Cæcodæmon non minus odium, quo hominum stragem auhelat, quam Virginitatis præteritum ac dignitatem commouet, quam etiam ipse dignam extimet, quæ summis præconijs extimetur. Quod si tanta veneratione Virginitas, ut ita dicam, sacra Genibus est, vobis dijudicandum relinquo, quæ reverentiæ significatio Virginitas sincera, solida & incoluminata Christianorum excipiantur? Hæc enim à stygio Veterum non summo tantum pretio habita est, sed & summo pere semper formidanda. Unde, ut Author est Cassianus, cum Abbas Joannes cum omnibus suis

Monachis post exactum trium dierum jejunium energumenum inquilino suo liberare non potuisset, demum adventante pauperculo quodam rusticello, quem pater ad ducendam sponsam adegerat, quam tamen ille induxit ad castæ mentis propositam: voti Religione interpolitâ firmandum; Dæmon quantocumque horrendo ejulatu exclamavit, ac fugâ se proripuit, Interitum repetiturus; non ferens scilicet odoris illius fragrantiam, quam pudor Virgineus exhalabat: sicut nec serpentes ferunt odorem Vitis etiamnum tenellæ ac florentis. Videtur igitur, quantam venerationem non solum à Cælo & terra Virginitas semper retulerit, sed ab ipsa etiam cæca Inferorum abyssu, ubi, etiam odio habita honoratur.

II.

XII. Omnes verò hæc dotes ac prærogative non nisi magis detestabilem faciunt insaniam illorum prodigalitate, qui eas cesi rem nullius pretij dilapidant. Cleopatra Egypti Regina uno convivio Margaritam acero maceratam abstulit, tanti pretij, ut cum altera simili centies mille sesterijs æstimaretur, hoc est, nostræ pecuniæ ducentis quinquaginta millibus coronatorum. Nihilominus si in memoriam revocaveritis, quæ supra attulimus, facillè agnosceatis, quantum major sit jactura, quam puellæ quædam malè causæ in prodigendo thesauro suo subeunt. Quod ut melius intelligatis, magisque ad horrorem tantæ profusionis concipiendum commoveamini, præsupponere debetis,

quòd juxta doctrinam S. Thomæ, illud, quod in prodigalitate maximè vituperabile habetur, non sic doni excessus, sed inordinatio quædam in donando commissa. *Prodigalitas, ait, semper est peccatum, non principaliter s. Th. 2. propter quantitatem, sed propter inordinacionem dandi, quibus non debet dari, ar. 2.* Et propter quæ, Et sicut debet. Hoc præsupposito facillè intelligetis, unde fiat, quòd mulier illa prodiga non sic, quæ Matrimonio juncta Viro candoris sui Virginei thesaurum concedit; illa autem, quæ extra Matrimonium eundem dono dat, plus quàm prodiga habetur.

XIII. Primo igitur loco considerare, cui donet; & gravem illico deordinationem videbitis: *quibus non debet dari.* Prodigii denique amicis sui largiuntur, & tamen, quia plus donant, quàm debeant, verè prodigi sunt. Quamnam igitur erit prodigalitas, donate raptoribus, larcionibus, proditoribus? At forsitan isthæc nomina satis accommodata non sunt actionibus multorum Juvenum, qui postquam fidei Matrimonij sollicitationibus, pluribus, quàm uni, Juvenculis totum Virginitatis suæ thesaurum eripuerunt, miseris tergum obvertunt, ac primi sunt, qui eas diffament, & plurimum, quàm unquam fecerint, delictorum accusent; ut scilicet eorum furtum levius habeatur, nec ipsi habeantur prædones Virginitatis, quam miseræ amissam plorant. Quamdiu frondosa quercus erecto ac firmo stat robore, nemo non frigidâ ejus umbrâ se condit;

Yy 2

EGNERI
O CRISTIANUSVI
13

dit; at ubi ventorum impetu in terram sternitur infelix, omnes in eam ferro armantur, ac in partes secant. Tantus principio amor, juramenta toties repetita: *Optimo in te animo feror, ducam te conjugem, habeo te pro mea, ne dubites*: Omnia ista sunt obsequia, quæ puellæ in pedes erectæ ab ijs exhibentur, qui ad domûs limina tempus terunt, & sub jucunda hac umbra ardores juvenilis ætatis temperant. At ubi vix planta, tanto in honore habita, humi alliditur, mox ferro manus armantur, hoc est, linguâ omni securi acutiore, eam fictus iste amicus & verissimùm Proditor, profcindit, ac palam jactat, se sibi nihil conscire, sibi culpam, qui primus non fuisset, tribui non posse. Ecce! quò collimabant illa obsequia, ritus illi ac ceremoniæ, dona, inclinationes, mellita verba! Efferebantur principiò miseræ, & extra se raptæ fraudem non notabant, imò æqualium suarum invidiam incurrebant, tanquàm in choreis magis honoratæ, cum re ipsa sui commiserationem ciere deberent, tanquam magis vicinæ tumbæ, ac jamjam mortibundæ. Ita aquila testudinem unguibus atreptam in altum evehit, non sine magno, ut credo, animalis hujus gaudio, utpote semper aliàs humi hæerere coacti. At quàm breve, quàm fallax gaudium! ubi prædam suam fati à terra extulit, rectâ deorsum saxo allidit, ac subinde in frustra comminutam devorat. Puella increpationibus ac fustuario assueta, quæ quæ ancillares sine salario labores obit,

cùm laudat se, æstimari, carere donis juvenilibus obrul animo credit, credit, per rapacissimos hostes nescio quam sibi sortem obgisse, & mille annos reputat, diu patriâ potestate emancipata ad Domicilium titulum, quem sibi in Matrimonio fingit, evehatur. Finis autem maximæ hujus spei alius non est, quàm ruina; postquam maleficus proditor jam satur se subducit, & infelici mulierculæ aliud non reliquit, quàm miseram reliquias deinde femine inter acerbos dolores depurandas. *Quomodo facta sunt in desperationem: perierunt propter iniquitatem suam.* Justa sanè pœna est, qui cum peccato sperat felicitatem, perdat, quod possidebat, & id, quod desiderabat, non consequatur.

XIV. Comparete nonnihil inter se statum ac conditionem femine jacturam pudoris sui passæ, comitatu ejusdem adhuc Virginis & illibetæ. Quæ ab omni populo in bonore fuit habita, omnium postmodum conventiculorum est fabula. Quæ prius ab agnatis omnibus amata, facta est omnium maledictorum scopulorum. Delicium erat familiæ; versa est in scaturiginem odiorum, & inimiciorum: nec alia hujus mutationis causa, quàm quòd misera puella, suo intè candoris pudici thesauro ingenua locuples, insanâ subinde prodigiosa suâ ad extremam inopiam redacta sit. Antehac navim referebat, ex lodi non modicum auri pondus reportatam, comitatamque magno navium bellicarum agmine, nequid mentur,

ab alijs navibus verò, fortè obvijs, non absque invidia spectatam. Nunc in hunc navigij est, quod rupi allisam contra quæque omnium suarum mercium jacturam passum est, & postmodum fluctuum vi in terram siccam ejectum ibi hæret, dum computrescat. Spectate proin illam in aliquo domus angulo latitantem, pudore plenam, perfusam lacrymis, luctu absorptam, quæ etiam subinde ne festis quidem diebus ad templum accedat, impar ignominie ferenda. O sancta solitudo! Si ea citius in amonibus fuisset, quantò foret hilarior Puella, quæ modò moreore & tristitia contabescit! Nobilis quidam Romanus, qui omne patrimonium suum decoxerat inter epulas & mentas, quodam vespere conam paucis definitam olivis sumebat, cum Plutarchus, magni nominis Philosophus, ejus fortè in ædes delatus, cum conam tam parcam vidisset, lepidè ait: *si ita prandisses, non ita convalesceres.* Ego quoque, si aliorum ruina insultare mihi liberet, simili dicendi formula infelici alicui tali mulierculæ in aurem infusurrarem: si hac ratione semper sola domi egisses, non ita solitaria, & velut carcere clausa ageres. *Si ita prandisses, non ita convalesceres.*

XV. Sed fingite, hujusmodi fallaces Pollicitatores suis promissis stare, ita ut ad cupitum maritalè thorum Puella perveniat. An illa propterea minùs erit prodiga Virginei thesauri sui? Non cerè: & cur ita? Quia nimirum tam non providè & sapienter rem tan-

ti pretij donat immerenti, & donat inducta motivo tam levi. *Propter inordinationem dandi, quibus non debet dari, & propter quæ non debet.* Aut forsitan res tam opranda, vicio se subijcere, ut à Virgine tanto debeat pretio comparari? In pœnam mulieri datum est jugum maritalè: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur Gen. 3. tui:* ita ut in peccati pœnam serva magis, quàm socia facta sit. Quomodo igitur nunc talis pœna in tam opulentum præmium commutata est? ut, quæ illam consequi velit, tantum debeat expendere? Oporteret infelices has feminas illa interrogatione, quam Deus Jobo proposuit, convenire: *Nunquid ingressus es thesauros ni Tob. 38. vis?* Ingressane estis vestra confidatione in immensos illos Virginitatis vestræ thesauros? Tot Sanctæ, ut nitem tam pretiosam servarent illibatam, totum è venis suis sanguinem cum gaudio profudere: & Mater Dei non dubitavit, eam Maternitati Dei anteferre, quæ tamen pretij & dignitatis est quasi infinita. Et vos hanc sodinam candoris pulcherrimi nihilo commutatis? Constat igitur manifestè, non introspexisse vos opes vestras: *non estis ingressi thesauros nivas.*

XVI. Atque hic ferre non possum modum illum loquendi, quo fatuæ quædam utuntur, ut stultam suam prodigalitem stultiore adhuc pallio operiant. *Reddite, ajunt, meum mihi honorem.* Quæso, quomodo? audite, docebo vos, qui sit possibile, ut vester vobis honos restaretur.

Y y 3 Ele

EGNERI
O Christianus

Y
15

Elegans quoddam vas Chryſtallo fictum accipite, ac in terram projicite: quod cum ruptum fuerit, quâ ratione ad priſtinam illud integritatem reduceris? Modus alius non eſt ſuper, quàm ut ad fornacem ſiſoriam redeatis, & de novo ſingi curetis. Ita veſtro cum honore agitur, quem ſi perdidideris, aliam rationem non poteritis reſtaurare, quàm ſi *ſeratò introire in ventrem matris & renascei* ſtudeatis. Aliud, quàm hoc *Renascei*, medium nullum ſuppedit, tantùmve vobis animi eſt, quo iſtud effectum detis? Quod ſi non præſtiteritis, jaſturam, quam feciſtis, nulla unquam contentione reſarciatis; utpote ex ſuo genere irreparabilem.

XVII. Denique circumſtantia, quæ omnium maximè prodigalitatibus tam infanz virum aggravat, eſt dandi modus: *propter inordinationem dandi, quibus non debet dari, & propter quæ, & ſicut debet.* Contremiſco, cum cogito, quòd tot Puellæ theſaurum ſuum in ſinum ſarum non modò effundant propter rationes momenti nullius; ſed ipſæ circumſteant, ut in caſſes, quibus teneantur, incurant, illucque gradum ſtudioſius promoveant, ubi pericula Caſtitatis ſuz majora incumbere animadvertunt. Erit, non nego, qui parùm caute opes ſuas cuſtodiat: at ubi quemquam reperietis, qui datâ operâ in ſylvam lacconibus inſeſtam conferat, ac in parte felicitatis habeat, ſi raptores habeat obvios? Et tamen ita res in caſu noſtro habet.

Quid enim ſunt choreæ, convivia, converſationes, Amores, & huiusmodi, niſi tot pericula, quibus intereat Virginitas! *Oculus meus depredatus eſt animam meam.* Inquirendum deſolata Hieroſolyma. Quod ſi talis depredatio ab oculo noſtro proficiſci poteſt, iudicate, an non etiam ab alieno? Et tamen pericula tam manifefſta, honeſta relaxationis vicibus hiant adoleſcentulæ incaute. Vingo etiam domeſticis ſuis familiaribus ſe non deberet, non aliter ac hirundo, quæ pro advena & externa libeturetiam in illa domo, in qua indulata eſt. Hæc cautela ex mente Bernardi Virginitatis indicium eſt: unde, quæ cauta non eſt, juxta illud, magnum præbet ſuſpicandi fundamentum, ne etiam caſta non ſit. *Solent Virgines, quæ Verè Virgines ſunt, ſemper eſſe pavidæ, & ut caveant timenda, etiam inca perimere.* Solum, ſi illa in præſentium caſta eſt, admodum erit difficile, ut caſta permaneat; ſiquidem Virginitas juxta mentem S. Ambroſij, ſos eſt, ſed tam delicatus, ut non tangi tantùm, ſed & videri timeat: *Sancta Virginitas non ſolum tactu, ſed etiam aspectu violatur.* Quid igitur magni illi Sancti de Juvenculis noſtris dicerent, ſi tota die feneftris incubantes cernerent, ſi ad fores, ad plitearum capita, ubi ſe aſpectabiles præbeant perſecutoribus ſuis, eam potiùs, an ſequacibus? quid ſi etiam manibus prehendi tantâ libertate, ut ſponſos

S. Thom.
2. 2. q.
132. n. 3.
ad 3.

P. S.
Hom

illos, sponsasque esse nemo prudens ambigeret? O quam horridum hoc ac terribile spectaculum foret, Magistris illis Virginitatis Zelosissimis! contrectari earum manus, & hoc inspectantibus matribus, consentientibus, & approbantibus?

XVIII. Virgo Sacrorum instar Ecclesie Lipsanorum asservanda esset, quæ raris per annum vicibus videnda oculis exhibentur, manibus atrectanda nunquam. Neque plus, quam oporteat, hac comparatione dixi. Asserit S. Thomas, quod Virgines inter Christianos pulcherrimè Desponsationem, quæ inter Christum & Ecclesiam intercedit, representent. Et licet hoc propriè de illis tantum Virginitas intelligatur, quæ voto perpetuo (a Deo obstrinxerunt, potest tamen etiam cum quadam proportione de illis Virginitas intelligi, quæ in omni statu ac conditione magnam illud Inregnitatis donum in corpore & anima possident, & magno illud Zelo conservant. Et ideo, si Virginitas tantum de Sacrosancto habet, quæ ratione ferendum est, quod illa adeo sine cura & sollicitudine prostituitur? Enimverò non habeo, quid dicam, nisi Beatos Cœlites non hac, sed longè diversâ ad conservandum suum pudorem ratione usos esse? Et sic mihi persuadeo, quod, quam facilè est Virginitatem in media solitudine reperire, tam sit difficile in media illam dissolutione offendere. Ut nivem asserves, abscondas oportet, ut non tantum non à Sole, sed ne ab aura quidem, ut sic loquar, conspiciatur.

Fieri potest, ut in jugis montium & Alpium verticibus ob ingens regionis illius à Sole & planitie remotæ frigus, nix etiam in aprico posita non colliquescat; hiac tamen non efficitur, in quocumque etiam colle nivem sine labe perituram. Sic in raro aliquo casu Puella quædam incontaminata servatur in media etiam agendi libertate, beneficio naturæ ac indolis benè dispositæ, simplicis, & ab omni fœditate abhorrentis: nolim tamen hinc argui, id & quavis die, & in quavis Puella eventurum. Nimum quantum difficile est, quemquam reperire, qui diu tutus in periculo hæreat: *Sen. Quem sape transit casus, aliquando invenit. Hæret. Eur.*

XIX. Qui si etiam hujusmodi Adolescentulas reperiremus, quæ splendore, quem quasi infantulæ ab ætatis suæ conditione accipiunt, dolosè uterentur ad liberius peccandum? Eventu quodam rem explanabo, ut facta verborum, quæ pudor non sinit proferre, vicem suppleant. F. Bernardus Astenis Sacri Ordinis Capucinorum tum Generalis, cum aliquando per sylvam iter faceret, feminam obviam habuit, quæ altum ingemiscens, ab Apris miserum in modum se dilacerari querebatur: Accurrit vir Sanctus, auxilium laturus; sed audit, malo non esse remedium. Fui, heu! Puella procax, his in locis lascivè vivere assueta, quæ ut tantò liberius fruerer Amasij cujusdam mei amplexibus, negavi me cuiquam vel nubere, sed Virginitatis decus illibatam tumulo inferre. Nunc mortua

EIGNERI
O CRISTIANUS

Bover,
A. 1554,
n. 29.

tus & damnata in prædam data sum
hiscæ duobus Apris, re vera, Dæmo-
nibus, qui me, ut vides, dilacerant &
torquent. Hæc cum dixisset, dispa-
ruit. Deum immortalem! eò veni-
mus, ut Virginitatis conservandæ
titulus loco pallij serviat cooperien-
dæ libidini? Videte, cujus farine
puellas nonnunquam reperite sit.
Columbæ apparent foris, intus qua-
vis cornice sunt nigriores. Imò verò
columbæ sunt. Nulla inter volucres
columbâ magis est incontinens, ita ut
Antiqui currum Veneris, Lascivorum
Deæ, à Columbâ trahi fingerent.
Nihilominus nulla inter volucres mag-
is etiam pura vulgo habetur; tantum
apparens candor facit. Talem esse
oportet, quæ quandoque matrimonij
vincula respuit utur honorati, non
quod magis esse casta percipiat, sed
dissoluta, & Sirenium instar conspe-
ctui subtrahit, quod sub aquis habet
bestiæ. Verùm stultæ Dei oculos
non fallent. Veniet Dies, veniet,
quo res occultæ omnes in lucem pro-
trahentur: *Illuminabuntur abscondi-
ta tenebrarum, & manifestabuntur
Consilia cordium.* Virginitas quò an-
nis longius procedit, eò crescit æsti-
mabilitate, magisque reddit honora-
tam, à qua servatur diutius. Quotidie
ab ipsa diuturnitate gloriæ incremen-
tum capit, ut Cedrus, quæ cum æta-
te fragrantiam auget. At vera sic o-
portet, non simulata; hæc enim
omni etiam pure gravius sceler.

XX. Quæ cum ita sint, stultam ma-
lesanarum illarum prodigalitem
Puellarum considerate, quæ tam pro-

fusè thesaurum expendunt, cujus in-
tuitu Deus nunquam cessat animas
illas locupletare, quæ eundem possi-
dent; ad eò in eo sibi complacere.
*Gratia super gratiam mulier Scollia, et
pudorata;* Quod si fortè prætere-
ser Prodigarum istarum, stultarum
lebam dicere, quæpiam tot inter lo-
pientes, eodem illam ferè modo, quo
Lex Prodigos solet, tractarem: Quo-
stituerem nimirum Curatorem, quem
illum? Sanctum Dei Timorem, in-
docente Apostolo: *Mundanus non
hoc est, simul nudi ab omni inveni-
mento mentis & corporis, persequitur
Sanctificationem in Timore Dei.* Pen-
dite, quod tempus transeat, sine
autem nullus sit æternitati: nos autem
non diu post ad terribile Dei crimi-
nal citandi sumus, coram quo
clamores, nihil exculationes, nihil
valebunt appellationes. Quis scit,
an non Iudex, quem remotum ac
longè distantem creditis, ad iudican-
dum ac pulset? *Eccæ Iudex ante
vultum vestrum assistit.* Vos autem tam parum
furorem illius metuitis, ut operam
ipso concessas, ad lucrum, & ad in-
gnem Gratiæ suæ accessionem facien-
dam, periculo adeò protervè expo-
natis? De salute æterna agitur. Delic-
is quidem libertas, gratæ resuscita-
tiones, jucunda oblectamenta, ama-
biles conversationes sunt, non nego:
ac si animæ vestræ detrimentum pati-
mini, quid ex delicijs vestris com-
bus habetis? Nostis, Lusciam
etiam cavèã apertâ non prodire, cùm
accipitrem videt; magis eam timet
mortis suo carcere clausam teneri,
quàm

quàm eam evagandi libertas deleat. Vos quoque, si non ad præsentia tantum, sed & futura respexeritis; si non bonum illud & malum, quod velut fœmulus transit, sed bonum & malum, quod sine caret, attenderitis, idem facietis. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & Spiritus perficietur Sanctificationem in Timore Dei.* Quàm vigilans atq; attentus est curator iste, Sanctus Dei Timor! Hunc ego omnibus, qui insigni hoc thesauro gloriantur, consigno utriusque sexus Virginibus. De sequiore quidem sexu locutus sum plurà, neque tamen propterea quisquam existimet, in alterutro Virginitatem magis esse estimabilem; cum, ut S. Augustinus attestatur, virtutis hujus pretium in eo consistat, ut quis, quantum quidem humanis fieri viribus potest, Christum imitetur Spiritus ac carnis integritate; id quod utriusque commune est. *Dux Virginitatis mee tu es, Jeremias, qui fuit Virgo, dicere potuit.* Non sibi persuadeant impudentissimi illi Juvenes, ideo minus se illis turpes esse, qui bona sua dissipant & abliguriant, quòd modò non videant jacturam. Quia quantumcumque lapsus fœminæ coram tribunal humano turpior videatur, quàm viri; aliter tamen res se habet coram tribunali Divino, ubi omnes ex pari & æquo judicantur. *Viro non licet, ait S. Ambrosius, quod mulieri non licet,*

Imò, etsi quibusdam in adulterio turpior videatur & pejor fœminæ lapsus, quàm viri, id non aliunde censent, quàm ex ijs, quæ adulterium fœminæ consequuntur; quæ ubi cessant, vult S. Thomas ex natura sua majorem esse viri culpam, quàm fœminæ, eò quòd ille gravior delinquere censendus sit, qui rei momenta magis intelligit. *Homo, cum in bono re esset, non intellexit.* Et tamen non pauci sunt, qui horrendum hoc, ac formidabile tribunal non expavefcant, ac gloriosum sibi ducant, si majus in se Judicis odium concitent, adeò protevi sunt, adeò in scelera effusi, quorum paulò pòst gravissimam rationem reddent; nec ipsi tantum cœno suarum scditatum immergi, sed etiam ut alios in easdem sordes pertrahant, studiosi. Non ita, non ita, vos saltem, dilectissimi! Sed Sanctus Dei Timor, quem vobis Curatorem constitui, in omnibus spiritus ac carnis integritatem conservet, cunctòsque instar Crystalli intus ac foris puros, ac lucidos faciat resplendescere. Castitas enim in s. Th. 2. carne sine Puritate in Anima, vera 2. q. 152. Castitas non est, & Virginitas animi sine illa, quæ in carne est, electa Virginitas non est. *Mundemus igitur, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & Spiritus, perficientes Sanctificationem in timore Dei.*

EGNERI
O Christianus